

confusionem maximam, adeò ut, dum primus jam numerat penduli itus pro indicanda litera secundâ, secundus adhuc occupatus sit in numerandis iis, qui præcedentem ipsi debeant indicare &c.

Verùm utrumque hoc dubium facile removebitur, si primo generatim notetur, utendum esse in hoc negotio pendulis longioribus, quorum vibrationes tardiores sunt ac plus temporis ad peragenda necessaria concedunt; deinde vero circa primum dubium speciatim attendatur, si maximè error aliquis in numerandis penduli undationibus vel explodendis sclopetis committeretur, adeò ut iusto citius vel tardius constituta signa darentur, caveri tamen facile posse, ut ne ultra unam alteramque penduli undationem error excurrat, qualis equidem proposito nihil officeret: etenim si v.g. post octavam penduli oscillationem vel etiam post duodecimam daretur novum signum, quòd dandum fuisset statim finita decimâ, facile judicat alter, per illas octo vel duodecim vibrationes nec denotari literam *A*, cui non nisi quinque debebantur, nec literam *C*, quæ viginti ex pacto postulabat, sed literam *B*, etsi præcisius agendo decem ipsi destinatae fuerant; ut taceam alphabeti literas adhuc majori vibrationum numero ab invicem removeri posse, ut erroris periculum omne evanesceret. Ad secundum breviter dicendum est: esse quidem notabile temporis intervallum inter explosionem sclopeti vel tormenti, & inter hujus perceptionem altero remotiore loco sequutam, sed intercedere tamen tantundem temporis inter sequens proximè signum & ejusdem perceptionem, atque adeò, quanto temporis spatium aut quo vibrationum numero signum unum distat ab altero in loco primo, tanto quoque intervallo temporis, eodemque Vibrationum numero, distare perceptionem signi unius à perceptione signi alterius in loco secundo: Unde, si alter inter binas sclopeti explosiones numeraverit penduli vibrationes quinque vel decem &c. alterum quoque inter binas explosionum perceptiones itidem quinque vel decem &c. numerare, & sic, quam literam alphabeti ipsi prior indicet, intelligere necessum sit.

## AUCTARIUM XV. TENTAMINIS.

### AD PHÆNOM. I.

**D**efinivimus hoc & seqq. Phænom. vitrorum plerorumque, è quibus erant composita nostra Microscopia & Telescopia, latitudinem & altitudinè, particulis exiguis nostræ scalæ geometricæ quam ad *Fig. LXIV.* videre est. Nunc modum indicamus quo sumus in istis dimetiendis usi: Suprà tenuè asserculum ereximus, intervallo trium circiter digitorum, duas columellas quadratas ad perpendiculum, & eas quidem è scala nostra minutim divisas: His desuper applicuimus asserculum alium probe quoque complanatum ac duobus foraminibus